



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. In his ipsis pœnis beneficia Dei contineri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

tates? Ego tantillo pretio mortem, & aeternum poenitere non emo.

IV.

Ex quibus origo nostrorum morborum ceterorumque malorum docet nos non solum à peccatis attentius cauere, sed etiam diuinam bonitatem agnoscere, & laudare, non accusare, ut quae nouerit, etiam de malis bona procurare. Nam ex ipsis peccati malis discimus peccata fugere, & ad illam vitam aspirare, in qua mala nulla aderunt, nulla aberunt bona. Itaque quia spei nostrae gaudium propter Dei laudem non est tacendum, & de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est: Domine dilexi decorem domus tuae: (ait S. Augustinus) de donis eius, quae in hac erumnesissima vita bonis malisque largitur, ipso adiuuante conijciamus, ut possumus, quantum sit illud, quod nondum experti utique, digne eloqui non ualeamus. Omitto enim, quando fecit hominem rectum: omitto vitam illam duorum conjugum in Paradisi fecunditate felicem, quando tam breuis fuit, ut ad nascentium sensum nec ipsa peruenerit: in hac, quam nonimus, in qua adhuc sumus, cuius tentationes, immò quam totam tentationem, quam diu in ea sumus, quantumlibet proficiamus, perpeti non desinimus, quae sint iudicia circa genus humanum bonitatis Dei, quis poterit explicare?

S Augustin.  
lib. 22. de ciuit.  
ait, cap. 21.

V.

Idem lib. 22.  
de ciuit. c. 22.

Nam, quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, haec ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantiae, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam, tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces cura, perturbationes, mœroros, insana gaudia, discordia, litas, bella, insidia, iracundia, inimicitia, fallacia, adulatio, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, saeuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriusque sexus, tot supra, atque immunditia, quas turpe etiam est dicere, sacrilegia, haereses, blasphemia, periuria, oppressiones innocentium, calumnia, circumventiones, prauaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentia, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non uenit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Verùm haec hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & peruersi amoris